inculpabiliter iniquitas sua vel illata nimis possit ab eis vel diligi vel desiderari. Iniusta voluntas eorum talis erit ut habeat in se semper malignitatis sue supplicium nunquam tamen recipere possint bonitatis effectum quia sicut illi qui cum Christo regnabunt nullas in se male voluntatis reliquias habebunt, ita illi qui erunt supplicio gehennae cum diabolo et angelis eius deputati sicut ullam habebunt ulterius requiem sic bonam nullatenus poterunt habere voluntatem. Et sicut coheredibus Christi dabitur perfectio gratiae ad aeternam gloriam, ita consortibus diaboli cumulabitur ipsa iniquitas ad poenam qui exterioribus deputati tenebris nullo illustrabuntur interiori luce veritatis. Ex his apparet reprobos in deterius sic pravatos pertinaces ut per eam pravam voluntatem non deserant et illa maligna voluntas erit eis ad cumulum poenae per quam tamen non merebuntur quia nullus meretur nisi in hac vita. Quare dicuntur tenebrae exteriores

Et quaeri potest quare ille tenebrae quibus involventur mali in gehenna dicuntur exteriores quia tunc mali penitus extra lucem corporalem et spiritualem scilicet deum erunt. Nunc enim etsi patiantur tenebras interiores mentis non tamen penitus extra lucem dei sunt nec corporali luce privantur. De hoc Augustinus sic ait Ira dei et indignatio eius. Et hic est in caecitate mentis. Tunc dantur mali in corporum sensu ibi exteriores tenebrae erunt quia tunc peccatores penitus erunt extra deum. Quid est enim penitus esse extra deum nisi esse in summa caecitate? Siquidem deus habitat lucem inaccessibilem. Hae autem tenebrae hic iam incipiunt in peccante tamen ab intima dei luce secluditur, sed non penitus dum in hac vita est. Extra quia peccator ibi dicitur pati exteriores tenebras et non hic quia ibi secluditur penitus a luce dei quod non hic. Sed quomodo intelligenda est illa seclusio? Utrum quia non videbunt deum per speciem an per dissimilitudinem quam facit peccatum inter deum et hominem. Sed et hic multi per gratiam peccata elongantur a deo tamen quia deum odiunt ita ut vellent non esse. Sed et hic multi deum oderunt de quibus scriptum est: Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper. Quae est igitur illa elongatio? Sane exteriores tenebrae intelligi possunt quaedam malignitas odii et voluntatis quae tunc excrescet in mentibus reproborum et quaedam oblivio dei quia tormentorum interiorum et exteriorum doloribus adeo affligentur et inebriabuntur ut ab illis ad cogitandum aliquid de deo vix et raro vel nunquam mentem revocent vel qui nimio pondere premuntur a deo stupescunt et turbantur ut mentem in aliam cogitationem non extendant sed illuc tendit impetus cogitationis omnis ubi sentitur vis doloris. Sed in hac vita nullus adeo malus est ut penitus secludatur a cogitatione dei qui nec perdit appetitum beatitudinis et quendam boni amorem quem naturaliter habet volens creatura. Illa autem exteriores et profundissimas tenebras reprobos possessuros post iudicium dicunt nonnulli opponentes de divite qui in inferno positus elevans oculos vidit Abraham a longe et Lazarum in sinu eius. Sed comparatione reatus et conscientia mala pravitatis adeo ut et fratres rogaret ab his praemuniri. Et dicunt quod ante iudicium factum legitur sed post iudicium in profundioribus tenebris erunt impii ubi dei lucem videbunt nec conspicientur.

De animabus damnatorum si quando habent notitiam eorum quae hic fiunt

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_326/0514
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG